

litteras pontificias prius cognoscant quam executioni mandentur, non quidem ad iudicandum de earum iustitia, sed ut rationes, si quas contrarias habeant, exponant S. Sedi, parati ejus iudicio stare; et ita egit Bened. XIV, anno 1741, erga regem Sardiniae, excipiendo tamen quasdam Bullas, Breves ac Litteras majoris momenti.

2<sup>o</sup> Nec videtur repugnare si Papa annueret, ad tempus, quod sua decreta disciplinaria ante placitum regium alicubi non vigerent, quoties non includerent clausulam, qua significaretur ea absolute suum effectum sortitura esse. At non posset Rom. Pontifex ius *placiti* seu *exsequatur* absolutum et irrevocabile concedere, quia tunc suam inalienabilem potestatem abdicaret ex parte, quod nullius esset roboris.

### QUAESTIO III<sup>a</sup>

Utrum principibus saecularibus sufficiat nihil agere, quo liberum auctoritatis ecclesiasticae exercitium impediatur?

(Vide D. Benoît : *les Erreurs modernes*, t. 2, p. 890... 914. — Brugère : *de Eccl.*, append. XIII. — Liberatore : *l'Egl. et l'Etat*.)

348. Resp. Negative, id est : officia Status erga Ecclesiam non sunt tantum negativa, sed etiam positiva. Haec autem tribus sequentibus assertionibus summatim enuntiantur :

Dico 1<sup>o</sup> : *Principes saeculares ea omnia praestare tenentur, quae necessaria sunt ut jura Ecclesiae exterius intacta permaneant.*

Prob. 1<sup>o</sup> auctoritate.

Sane de hujusmodi saltem protectione, intelligenda sunt ea quae passim in traditione proferuntur, circa finem propter quem principes praeficiuntur populis. Sic S. Leo M. loquens ad Imperatorem Leonem Augustum (Ep. 75), affirmat : « regiam potestatem... « maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam ». — S. Greg. M. (Ep. ad Imp. Mauriti.) dicit imperatoribus datam esse potestatem « ut terrestre regnum « coelesti regno famuletur ». — Conc. Trid. (Sess. xxv, c. 20). « Saeculares principes Deus sanctae fidei Ecclesiaeque protectores esse voluit. » — Pius IX, in Encycl. *Quanta cura*, omnibus episcopis praecipit ut doceant : « regiam potestatem, non solum ad mundi « regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse « collatam. » Leo XIII, in Encycl. *Immortale Dei* : « Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei non « men; ponendumque in praecipuis illorum officiis, « religionem gratia complecti, benevolentia tueri, « auctoritate nutuque legum tegere, nec quippiam « instituere aut decernere quod sit ejus incolumitati « contrarium. »

Prob. 2<sup>o</sup> ratione.

1<sup>o</sup> Ad auctoritatem civilem certe pertinet reprimere omnem injuriam, qua libertas Catholicorum opprimeretur vel vexaretur. Unusquisque enim civis jus habet, ut auctoritas civilis illum immunem faciat ab omni exteriori violentia, ipsum impediendo ne his actibus incumbat, qui legibus non opponuntur, et aliunde sibi et aliis sunt utiles. Atqui externum religionis catholicae exercitium legibus civilibus non potest esse contrarium, cum omnis lex hujusce exercitii impeditiva eo ipso injusta foret; et aliunde tale exercitium, et

singulis civibus, et communi reipublicae bono utile et necessarium est. Ergo...

2<sup>o</sup> Auctoritas civilis nihil potest statuere quod juri-  
bus Ecclesiae praejudicaret. Ergo si latae fuerint leges,  
etiam in se justae, sed quarum observatio non possit  
absolute et universaliter urgeri, quin laedantur Eccle-  
siae jura, tenetur princeps has leges moderari, neces-  
sarias adjiciendo exemptiones ac immunitates. Sic v. g.,  
lex praescribens singulis civibus militiam non potest  
imponi clericis.

349. Dico 2<sup>o</sup> : *Principes saeculares, in sua tem-  
porali administratione, ea omnia Ecclesiae prae-  
stare tenentur obsequia quae, propter finis spiri-  
tualis necessitatem, ab ea exiguntur.*

Conclusio aperte sequitur ex jam demonstrata Eccle-  
siae potestate saltem indirecta in rebus temporalibus  
societatis civilis. Probatur tamen 1<sup>o</sup> auctoritatibus  
modo allatis n. 248; 2<sup>o</sup> ratione multiplici.

1<sup>o</sup> *Auctoritatibus modo allatis.*

Illae enim sine restrictione intelligendae videntur,  
de quibuscumque obsequiis temporalibus bono Eccle-  
siae spirituali necessariis. Sic enim optime dicitur  
*regiam potestatem ad Ecclesiae praesidium colla-  
tam; terrestre regnum coelesti regno famulari;  
principes esse sanctae fidei Ecclesiaeque protecto-  
res; ac ponendum in praecipuis illorum officiis  
religionem benevolentia tueri, et auctoritate legum  
tegere.*

2<sup>o</sup> *Ratione multiplici.*

1<sup>o</sup> **Ex necessitate religionis socialis.** — Etenim,  
societas civilis ipsa religionem profiteri tenetur, ut  
supra demonstravimus (de Rel., n. 28, 29, 30), et ad

principem, tanquam ad caput corporis socialis quod  
repraesentat et cujus curam gerit, pertinet providere  
ut huic obligationi sociali satisfiat. At societas, sicut  
individui, aliam non potest religionem profiteri ac eam  
quam Deus ipse instituit, et qua vult ab hominibus ho-  
norari, ut sapienter animadvertit Leo XIII, in sua  
Encyclica *Immortale Dei* (1 nov. 1885), dicens :  
« Quapropter, sicut nemini licet sua adversus Deum  
« officia negligere, officiumque est maximum amplecti  
« animo et moribus religionem, nec quam quisque  
« maluerit, sed quam Deus jusserit, quamque certis  
« minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus  
« veram esse constituit; eodem modo civitates non  
« possunt, citra scelus, gerere se tanquam si Deus om-  
« nino non esset, aut curam religionis velut alienam  
« nihilque profuturam abjicere, aut asciscere se plu-  
« ribus generibus indifferenter quod libuerit; omnino-  
« que debent eum in colendo Numine morem usur-  
« pare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit  
« velle. » Tenentur itaque rectores societatis civilis,  
qua tales, seu, in sua regendi ratione, religionis catho-  
licae cultores se ostendere; ac proinde procurare,  
pro posse suo et juxta circumstantias, ut haec religio  
in societate civili debito modo exerceatur. Atqui  
evidenter tali debito non satisfacerent si, contenti  
assecurare Ecclesiae libertatem illam, quae nulli so-  
cietati in se licitae denegari potest, nollent ipsi alia  
obsequia praestare, etiamsi his indigeret.

2<sup>o</sup> **Ex vinculo quo principes adstringuntur erga  
Ecclesiam, quatenus ejus membra.** — Membra enim  
alicujus corporis moralis, pro invicem et maxime pro  
bono totius corporis, sollicita esse debent, et seipsa ad

illud procurandum impendere, unumquodque juxta propriam facultatem. Atqui principes saeculares, quamvis, in ordine ad societates civiles sibi subditas, fungantur officio capitis, in ordine tamen ad Ecclesiam, quae est societas spiritualis universalis, sunt membra supremae auctoritati spirituali subjecta. Ergo, sub influxu ac directione capitis spiritualis, tenentur sua temporali potestate uti ad bonum totius corporis ecclesiastici procurandum; eorum quippe potestas, utpote christiana, facta est bonum commune Ecclesiae.

**3° Ex subordinatione finis temporalis ad spirituale.** — Fini enim Ecclesiae subordinatur finis societatis civilis, sicut aeternae beatitudini, quae est finis ultimus humanae vitae, subordinatur temporalis felicitas. Ideo felicitas temporalis, quam prosequitur princeps civilis, talis esse debet, quae ad salutem aeternam civium procurandam inserviat. Ergo officium est principis civilis, sic bono temporali vigilare, ut fideles in prosequenda aeterna beatitudine meliori modo adjuventur. Sed tale officium certe non adimpleret, si Ecclesiae non praestaret obsequia quibus indiget ad subveniendum spiritualibus fidelium necessitatibus.

**4° Ex efficacia religionis ad homines temporaliter beatificandos.** — Fidelis enim religionis catholicae observantia est medium maxime necessarium, et inter omnia efficacissimum, temporalem populorum felicitatem in tuto ponendi, ac proinde a principe non negligendum. Atqui princeps non potest melius hanc fidelem observantiam promovere, quam si Ecclesiae pro posse suo famuletur. Ergo...

Dixi 1° in sua temporali administratione, quia ad

principes non spectat per actus ordinis spiritualis Ecclesiam adjuvare, siquidem spirituali auctoritate carent.

Dixi 2° *propter finis spiritualis necessitatem.* Illa autem necessitas adest, quoties obsequii alicujus omisio, aut Ecclesiae foret graviter damnosa, aut eam ingenti commodo privaret. Sed ubi, attentis circumstantiis, ex obsequio praestito, aut majus obveniret damnum, aut majus cessaret commodum quam ex ejusdem omissione, tunc jam non existit ratio obsequii praestandi, et melius erit ab illa abstinere; v. g. ubi repressio religionis falsae, quae apud multos a longo tempore obtinuit, regnum caedibus repletur.

Dixi 3° *obsequia quae ab Ecclesia exiguntur.* Illa enim protectio non nisi consentiente Ecclesia concedatur necesse est, et quidem intra limites ab illa assignatos. Ad illum enim solum cujus est providere de fine assequendo, pertinet judicare de mediis adhibendis. Unde princeps qui, in hisce causis, proprii iudicii ductum sequeretur, jam non Ecclesiae protector, sed potius oppressor dicendus esset, et societatis spiritualis regimen externum ad se attrahere videretur.

**350. Dico 3° : Separatio Status ab Ecclesia non est probanda modo absoluto.**

Non tantum deducitur ex duabus praecedentibus conclusionibus, sed probatur specialiter auctoritate et ratione.

Prob. 1° *auctoritate.*

Si haec separatio absolute probanda esset, jam utriusque potestatis unio esset de se aut mala aut minus bona. Sed contrarium patet ex tota historia testante Ecclesiam, per suos Pontifices, omnem ad-

hibuisse curam ut praefata unio quam maxime vigeret.

Hinc est quod Ivo Carnutensis ad Paschalem II Pontificem scripsit (Ep. 238) : « Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, « floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvae res non crescunt, sed « etiam magnae res miserabiliter dilabuntur. »

Recentiori aetate, Greg. XVI, in Encycl. *Mirari*, ait : « Non laetiora religioni et principatui ominari « possumus ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno « separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discipiunt. Constat pertimesci ab « impudentissimae libertatis amatoribus concordiam « illam, quae semper rei sacrae et civili fausta extitit « et salutaris. »

Pius IX in Syllabo damnavit hanc propositionem quae est LV : « Ecclesia a Statu Statusque ab Ecclesia sejungendus est. »

Leo XIII, in Encycl. *Immortale Dei*, hanc deflet separationem, affertque verba S. Ivonis jam citata. In Encycl. *Libertas*, reprobatur principium Liberalistarum : « ex quo, inquit, perniciosum illud gignitur concorsctarium : civitatis Ecclesiaeque rationes dissociari « oportere. »

Prob. 2<sup>o</sup> *ratione*.

1<sup>o</sup> Absoluta separatio Status ab Ecclesia, ea foret vicujus regimen societatis civilis perinde se haberet, ac si nulla existeret Ecclesia. Atqui talis se habendi modus, et naturae utriusque societatis repugnat, et est earumdem membrorum perniciosissima.

a) Naturae utriusque societatis repugnat. Societas

quippe civilis et ecclesiastica, ratione finis communis, necessario junguntur. Habent enim pro fine communi Dei gloriam hominumque salutem aeternam, quem finem Ecclesia immediate et proxime prosequitur, Status vero mediate et remote. Ergo.

b) Utriusque societatis absoluta separatio est earumdem membrorum perniciosissima. Nam tunc quod una praecipit saepe ab altera prohibetur, et sic constituuntur fideles in necessitate alterutrius indignationem et vindictam incurrendi, exponunturque periculo mandatum Dei ex timore mundano transgrediendi.

2<sup>o</sup> Illae potestates non possunt ab invicem sejungi, quae efficacissimam sibi mutuo opem conferunt pro attingendo fine cuique proprio. Atqui potestas civilis et ecclesiastica, ubi concorditer procedunt, opem sibi mutuo efficacissimam praebent.

a) Potestas enim civilis adjuvat ecclesiasticam, dum princeps legibus ac poenis scelera praecavet aut castigat, morum externam decentiam promovet, ideoque cives ad veram honestatem, quam Ecclesia procurare nititur, disponit. Insuper, fraudes et turbas a societate arcendo, reprimendoque hominum impietates ac violentias, facit ut, tranquillam vitam agentes, bonis operibus cum majori facilitate vacemus, et ut Ecclesia libere et confidenter ministeriis sibi propriis incumbat.

b) Potestas spiritualis, ex sua parte, vinculo religionis artius inter se connectit principes cum subditis et subditos ad invicem; hac autem mentium et voluntatum concordia, et melius geritur imperium, et perfectior est obedientia, et justitia cum charitate externis relationibus efficacius praeest. Insuper, Ecclesia hanc in civibus gignit moralitatem, quae ad

intimos usque animi motus componendos extenditur; quapropter prima flagitiorum germina potenter extirpat, principalia rei civilis fulcimenta, uti sunt matrimonium et juramentum, obfirmat. Quibus adde Ecclesiam, ad praedictos effectus tantopere salutare certius et uberius producendos, abundare mediis supernaturalibus, qualia sunt: sacrificium Missae, sacramenta, preces et suffragia communia, benedictiones, etc.

Haec nostra argumentatio saeculorum praeteritorum experientia confirmatur, ut ostendit Leo XIII, in sua Encycl. *Immortale Dei*, his verbis: « Fuit ali-  
« quando tempus, cum evangelica philosophia guber-  
« naret civitates; quo tempore christianae sapientiae  
« vis illa et divina virtus in leges, instituta, mores  
« populorum, in omnes reipublicae ordines rationes-  
« que penetraverat; cum religio per Jesum Christum  
« instituta, in eo quo aequum erat dignitatis gradu  
« firmiter collocata, gratia principum, legitimaque  
« magistratuum tutela ubique floreret; cum sacer-  
« dotium atque imperium concordia et amica officio-  
« rum vicissitudo auspicata conjungeret. Eoque modo  
« composita civitas, fructus tulit omni opinione ma-  
« jores, quorum viget memoria, et vigebit innume-  
« rabilibus rerum gestarum consignata monumentis,  
« quae nulla adversariorum arte corrumpi aut ob-  
« scurari possunt.... Mansissent profecto eadem bona,  
« si utriusque potestatis concordia mansisset; majo-  
« raque expectari jure poterant, si auctoritati, si  
« magisterio, si consiliis Ecclesiae majore esset cum  
« fide perseverantiaque obtemperatum. »  
Diximus: *separatio non est probanda modo abso-*

*luto*. Alia est enim separatio absoluta, seu, totalis, alia relativa, seu, partialis. Prior existit quando potestas civilis nullam omnino Ecclesiae rationem habet; et talis separatio, ex supra dictis, penitus reprobanda est. Separatio autem relativa et partialis tres gradus complectitur. — *Primus* est, si Status plenam Ecclesiae libertatem assecuret, sed nihil amplius, ac ideo illi non magis quam caeteris cultibus falsis in societate vigentibus faveat. — *Secundus*, si religio catholica proferatur tanquam religio Status, eo sensu quod sola adhibeatur ad preces vel gratias Deo, nomine nationis, offerendas. — *Tertius*, si religio catholica assumatur non tantum pro cultu publico, sed etiam pro fundamento et motivo legum, ut quam maxime evadant utiles; caeterae tamen religiones tolerentur. His autem partialibus separationibus opponitur unio totalis et completa, vi cujus, praedictis vinculis inter utramque societatem, additur omnium aliarum religionum, quoad externam manifestationem, interdictio. Jam vero, non intendimus hanc ultimam Ecclesiae conditionem, quamvis in se summopere desiderabilem, absolute necessariam esse, ita ut separatio partialis non sit aliquando toleranda, et quidem major aut minor, juxta circumstantias. De qua re judicium ferre spectat ad Ecclesiam.

QUESTIO IV<sup>a</sup>

Utrum libertates civiles, quas modernas vocant, cum officiis Status erga Ecclesiam conciliari possint?

(Vide D. Benoît: *des Erreurs modernes*, t. II, n. 912... 932.)

351. Resp. Ut illa quaestio plenior et clariorem